Et loquitur verba tedii et murmurationum et
tempus causabitur. Si autem potuerit reddere adver-
sabitur: solidi vix reddet dimidium
et computabit illud quasi inventionem. Si
autem fraudabit illum pecunia sua et
possidebit illum inimicum gratis. Et convi-
cia et maledicta reddet illi et pro honore
et beneficio reddet illi contumeliam. Multi
non causa nequitie non feneraverunt sed
(vide .9. b) fraudari gratis timuerunt. Verumptamen super
humilem animo fortior esto et pro elemo-
sina non trahas illum. Propter mandatum as-
sume pauperem et propter inopiam illius
ne dimittas illum vacuum. Perde pecuniam
propter fratrem et amicum et non abscondas illam
sub lapide in perditionem. Pone thesa-
urum tuum in preceptis altissimi et
proderit tibi magis quam aurum. Conclude ele-
mosinam in sinu pauperis et hec pro te ex-
orabit ab omni malo.
Elemosina viri quasi sacculum cum ipso et
gratiam hominis quasi pupillam conservabit.
Et postea resurget et retribuet retribu-
tionem unicuique in caput illorum. Super scu-
tum potentis et super lanceam adversus
inimicum tuum pugnabit. Vir bonus
fidem facit proximo suo et qui perdiderit confu-
sionem derelinquet sibi. Gratiam fideiusso-
ris ne obliviscaris: dedit enim pro te animam
suam. Repromissorem fugit peccator et in-
mundus. Bona repromissoris sibi
ascribit peccator et ingratus sensu derelin-
quet liberantem se. Vir repromittit
de proximo suo et cum perdiderit reverentiam
derelinquetur ab eo. Repromissio
nequissima multos perdidit dirigentes
et commovit illos quasi fluctus maris.
Viros potentes gyrans migrare fecit
et vagati sunt in gentibus alienis. Peccator
transgrediens mandata domini incidet in
promissionem nequam et qui conatur mul-
ta agere incidet in iudicium. Recupera
proximum secundum virtutem tuam et attende tibi
ne incidas. Initium vite hominis aqua et
panis et vestimentum et domus proteg-
ens turpitudinem. Melior est victus p-
auperis sub tegmine asserum quam epule
splendide in peregre sine domicilio. Mini-
mum pro magno placeat tibi et impro-
perium peregrinationis non audies. Vita
nequam hospitandi de domo in domum.
et ubi hospitabitur non fiducialiter aget nec
aperiet os. Hospitabitur et pascet et pota-
bit ingratos et ad hec amara audiet.
Transi hospes et orna mensam et que in ma-
nu habes ciba ceteros. Exi a facie honoris
amicorum meorum necessitudine domus mee.
hospitio mihi factus est frater. Gravia hec homi-
ni habenti sensum: correptio domus et im-
properium feneratoris.

XXX

Qui diligit filium suum assiduat il- (ebre. 17. b. q. dilig. d.)
li flagella ut letetur in novissimo suo:
et non palpet proximorum hostia. Qui docet
filium suum laudabitur in illo et in me-
dio domesticorum in illo gloriabitur. Qui do-
cet filium suum in zelum mittit inimi-
cum et in medio amicorum gloriabitur in illo. Mor-
tuus est pater illius et quasi non est mortu-
us: similem enim reliquit sibi post se. In vita su-
a vidit et letatus est in illo. In obitu
suo non est contristatus nec confusus est
coram inimicis. Reliquit enim defensorem
domus contra inimicos et amicis redden-
tem gratiam. Pro animabus filiorum colliga-
bit vulnera sua et super omnem vocem
conturbabitur viscera eius. Equus indomitus (liberant)
evadit durus et filius remissus ev-
adit preceps. Lacta filium et paventem
te faciet. Lude cum eo et contristabit te.
Non corrideas illi ne doleas et in
novissimo obstupescent dentes tui.
Non des illi potestatem in iuventute
et ne despicias cogitatus illius. Cur-
va cervicem eius in iuventute et tunde
latera eius dum infans est ne forte in-
duret et non credat tibi et erit tibi dolor
anime. Doce filium tuum et operare in illo:
ne in turpitudine illius offendaris.

License: public_domain – Cambridge, MA, Harvard University, Houghton Library, MS Lat 441, (seq. 25) – Ecclesiasticus (https://fragmentarium.ms/view/page/F-2daf/1121/15842)